

## ECLOGA I

## TIMOETHAS

N1 v.1 "Dum fiscella tibi fluviali, Tityre, junco  
 2 texitur et raucis immunia rura cicadis,  
 3 incipe, si quod habes gracili sub harundine carmen  
 4 compositum. Nam te calamos inflare labello  
 5 Pan docuit versuque bonus tibi favit Apollo.  
 6 Incipe, dum salices haedi, dum gramina vaccae  
 7 detondent, viridique greges permettere campo  
 8 dum ros et primi suadet clementia solis.

## TITYRVS

9 Hos annos canamque comam, vicine Thymoeta,  
 10 tu juvenis carusque deis in carmina cogis ?  
 11 Diximus et calamis versus cantavimus olim,  
 12 dum secura hilares aetas ludebat amores.  
 13 Nunc album caput et veneres tepuere sub annis ;  
 14 jam mea ruricolae dependet fistula Fauno.  
 15 Te nunc rura sonant ; nuper nam carmine victor  
 16 risisti calamos et dissona flamina Mopsi  
 17 judice me : mecum senior Meliboeus utrumque  
 18 audierat laudesque tuas sublime ferebat.  
 19 Quem nunc emeritae permensus tempora vitae  
 20 secreti pars orbis habet mundusque piorum.  
 21 Quare age, si qua tibi Meliboei gratia vivit,  
 22 dicat honoratos praedulcis tibia manes.

## THYMOETAS

23 Et parere decet jussis et grata jubentur.  
 24 Namque fuit dignus senior, quem carmine Phoebus,  
 25 Pan calamis, fidibus Linus aut Oeagrius Orpheus  
 26 concinerent totque acta viri laudesque sonarent.  
 27 Sed quia tu nostrae laudem depositis avenae,  
 28 accipe quae super haec cerasus, quam cernis ad amnem  
 29 continet, inciso servans mea carmina libro.

## TITYRVS

30 Dic age ; sed nobis ne vento garrula pinus  
 31 obstrepatur, has ulmos potius fagosque petamus.

## THYMOETAS

32 Hic cantare libet : virides nam subicit herbas  
 33 mollis ager lateque tacet nemus omne ; quieti  
 34 aspice ut ecce procul decerpant gramina tauri  
 35 omniparens aether et rerum causa, liquores,  
 36 corporis et genetrix tellus, vitalis et aer,  
 37 accipite hos cantus atque haec nostro Meliboeo  
 38 mittite, si sentire datur post fata quietis.  
 39 Nam si sublimes animae caelestia templa  
 40 sidereasque colunt sedes mundoque fruuntur,  
 41 tu nostros adverte modos, quos ipse benigno  
 42 pectore fovisti, quos tu, Meliboe, probasti.  
 43 Longa tibi cunctisque diu spectata senectus

44 felicesque anni nostrique novissimus aevi  
45 circulus innocuae clausurunt tempora vitae.  
46 Nec minus hinc nobis gemitus lacrimaeque fuere,  
47 quam si florentes mors invida carperet annos,  
48 nec tenuit tales communis causa querelas.  
49 Heu, Meliboee, jaces mortali frigore segnis  
50 lege hominum, caelo dignus canente senecta  
51 concilioque deum. Plenum tibi ponderis aequi  
52 pectus erat. Tu ruricolum discernere lites  
53 assueras, varias patiens mulcendo querelas.  
54 Sub te ruris amor, sub te reverentia juris  
55 floruit, ambiguos signavit terminus agros.  
56 Blanda tibi vultu gravitas et mite serena  
57 fronte supercilium, sed pectus mitius ore.  
58 Tu, calamos aptare labris et jungere cera  
59 hortatus, duras docuisti fallere curas.  
60 Nec segnem passus nobis marcere juventam  
61 saepe dabas meritae non vilia praemia musae.  
62 Saepe etiam senior, ne nos cantare pigeret,  
63 laetus Phoebea dixisti carmen avena.  
64 Felix o Meliboee, vale ! Tibi frondis odorae  
65 munera dat lauros carpens ruralis Apollo ;  
66 dant Fauni quod quisque valet, de vite racemos,  
67 de messi culmos omniq[ue] ex arbore fruges ;  
68 dat grandaeva Pales spumantia cymbia lacte,  
69 mella ferunt Nymphae, pictas dat Flora coronas.  
70 Manibus hic supremus honor : dant carmina Musae,  
71 carmina dant Musae, nos et modulamur avena.  
72 Silvestris te nunc platanus, Meliboee, susurrat,  
73 te pinus ; reboat te quidquid carminis echo  
74 respondet silvae ; te nostra armenta loquuntur.  
75 Namque prius siccis phocae pascentur in arvis  
76 vestitusque freto vivet leo, dulcia mella  
77 sudabunt taxi, confusis legibus anni  
78 messem tristis hiems, aestas tractabit olivam,  
79 ante dabit flores autumnus, ver dabit uvas,  
80 quam taceat, Meliboee, tuas mea fistula laudes.

TITYRVS

81 Perge puer, coeptumque tibi ne desere carmen.  
82 Nam sic dulce sonas ut te placatus Apollo  
83 provehat et felix dominam perducat in urbem.  
84 Jamque hic in silvis praesens tibi Fama benignum  
85 stravit iter, rumpens livoris nubila pinnis.  
86 Sed jam Sol demittit equos de culmine mundi,  
87 fulmineos suadens gregibus praebere liquores".

ECLOGA II  
IDAS - ALCON

N2

v.1 Formosam Donacen Idas puer et puer Alcon  
2 ardebat rudibusque annis incensus uterque  
3 in Donaces venerem furiosa mente ruebant.  
4 Hanc, cum vicini flores in vallibus horti  
5 carperet et molli gremium compleret acantho  
6 invasere simul venerisque imbutus uterque  
7 tum primum dulci carpebant gaudia furto.

8 Hinc amor et pueris jam non puerilia vota  
9 quis anni ter quinque, et mens et cura juventae.  
10 Sed postquam Donacen duri clausere parentes,  
11 quod non tam tenui filo de voce sonaret  
12 sollicitumque foret pinguis sonus, improba cervix  
13 suffususque rubor crebro venaeque tumentes,  
14 tam vero ardentes flammati pectoris aestus  
15 carminibus dulci possunt relevare querela ;  
16 ambo aevo cantuque pares nec dispare forma,  
17 ambo genas leves, intonsi crinibus ambo.  
18 Atque haec sub platano maesti solacia casus  
19 alternant, Idas calamis et versibus Alcon :  
IDAS  
20 "Quae colitis silvas, Dryades, quaeque antra, Napaeae,  
21 et quae marmoreo pede, Naides, uda secatis  
22 litora purpureosque alitis per gramina flores,  
23 dicite quo Donacen prato, qua forte sub umbra  
24 inveniam, roseis stringentem lilia palmis ?  
25 Nam mihi jam trini perierunt ordine soles  
26 ex quo consueto Donacen exspecto sub antro.  
27 Interea, tamquam nostri solamen amoris  
28 hoc foret aut nostros posset medicare furores,  
29 nulla meae trinis tetigerunt gramina vaccae  
30 luciferis, nullo libarunt amne liquores ;  
31 siccaque fetarum lambentes ubera matrum  
32 stant vituli et teneris mugitibus aera complent.  
33 Ipse ego nec junco molli nec vimine lento  
34 perfeci calathos cogendi lactis in usus.  
35 Quid tibi quae nosti referam ? Scis mille juvencas  
36 esse mihi, nosti nunquam mea mulctra vacare.  
37 Ille ego sum, Donace, cui dulcia saepe dedisti  
38 oscula nec medios dubitasti rumpere cantus  
39 atque inter calamos errantia labra petisti.  
40 Heu heu ! Nulla meae tangit te cura salutis ?  
41 Pallidior buxo vitaeque simillimus erro.  
42 Omnes ecce cibos et nostri pocula Bacchi  
43 horreo nec placido memini concedere somno.  
44 Te sine, vae, misero mihi lilia fusca videntur  
45 pallentesque rosae nec dulce rubens hyacinthus,  
46 nullos nec myrtus nec laurus spirat odores.  
47 At, si tu venias, et candida lilia fient  
48 purpureaeque rosae et dulce rubens hyacinthus ;  
49 tunc mihi cum myrto laurus spirabit odores.  
50 Nam dum Pallas amat turgentes unguine bacas,  
51 dum Bacchus vites, divo sata poma Priapus,  
52 pascua laeta Pales, Idas te diligit unam".  
53 Haec Idas calamis. Tu, quae responderit Alcon  
54 versu, Phoebe, refer : sunt aurea carmina Phoebo.  
ALCON  
55 "O montana Pales, o pastoralis Apollo,  
56 et nemorum Silvane potens, et nostra Dione,  
57 quae juga celsa tenes Erycis, cui cura jugales  
58 concubitus hominum totis concedere saeclis,  
59 quid merui ? Cur me Donace formosa reliquit ?  
60 Munera namque dedi noster quae non dedit Idas,  
61 vocalem longos quae dicit aedona cantus ;  
62 quae, licet interdum, contexto vimine clausa,  
63 cum parvae patuere fores, ceu libera ferri

64 norit et agrestes inter volitare volucres,  
65 scit rursus remeare domum tectumque subire  
66 viminis et caveam totis paeponere silvis.  
67 Praeterea tenerum leporem geminasque palumbes  
68 nuper, quae potui silvarum praemia, misi.  
69 Et post haec, Donace, nostros contemnis amores ?  
70 Forsitan indignum ducis quod rusticus Alcon  
71 te peream, qui mane boves in pascua duco !  
72 Di pecorum pavere greges, formosus Apollo,  
73 Pan doctus, Fauni vates et pulcher Adonis.  
74 Quin etiam fontis speculo me mane notavi,  
75 nondum purpureos Phoebus cum tolleret ortus  
76 nec tremulum liquidis lumen splenderet in undis :  
77 quod vidi, nulla tegimur lanugine malas,  
78 pascimus et crinem ; nostro formosior Ida  
79 dico, et hoc ipsum mihi tu jurare solebas,  
80 purpureas laudando genas et lactea colla  
81 atque hilares oculos et formam puberis aevi.  
82 Nec sumus indocti calamis : cantamus avena  
83 qua divi cecinere prius, qua dulce locutus  
84 Tityrus e silvis dominam pervenit in urbem.  
85 Nos quoque te propter, Donace, cantabimus urbi  
86 si modo coniferas inter viburna cupressos  
87 atque inter pinus corylum frondescere fas est".  
88 Sic pueri Donacen toto sub sole caneabant,  
89 frigidus e silvis donec descendere suasit  
90 Hesperus et stabulis pastos inducere tauros.

### ECLOGA III : BACCHUS

N3 v.1 Nyctilus atque Micon nec non et pulcher Amyntas  
2 torrentem patula vitabant ilice solem  
3 cum Pan venatu fessus recubare sub ulmo  
4 cooperat et somno lassatas sumere vires ;  
5 quem super ex tereti pendebat fistula ramo.  
6 Hanc pueri, tamquam praedam pro carmine possent  
7 sumere fasque esset calamos tractare deorum  
8 invadunt furto. Sed nec resonare canorem  
9 fistula quem suerat nec vult contexere carmen  
10 sed pro carminibus male dissona sibila reddit,  
11 cum Pan excussus sonitu stridentis aenae  
12 jamque videns : "Pueri, si carmina poscitatis, inquit,  
13 ipse canam. Nulli fas est inflare cicutas  
14 quas ego Maenaliis cera conjungo sub antris.  
15 Jamque ortus, Lenaee, tuos et semina vitis  
16 ordine detexam : debemus carmina Baccho".  
17 Haec fatus coepit calamis sic montivagus Pan :  
18 "Te cano, qui gravidis hederata fronte corymbis  
19 vitea serta plicas quique udo palmite tigres  
20 ducis odoratis perfusus colla capillis,  
21 vera Jovis proles. Nam cum post sidera caeli  
22 sola Jovem Semele vidit Jovis ora professum,  
23 hunc pater omnipotens, venturi providus aevi,  
24 pertulit et justo produxit tempore partus.  
25 Hunc Nymphae Faunique senes Satyrique procaces

26 nosque etiam Nysae viridi nutrimus in antro.  
27 Quin et Silenus parvum veteranus alumnum  
28 aut gremio fovet aut resupinis sustinet ulnis,  
29 evocat aut risum digito motuve quietem  
30 allicit aut tremulis quassat crepitacula palmis.  
31 Cui deus arridens horrentes pectore saetas  
32 vellicat aut digitis aures astringit acutas  
33 applauditve manu mutilum caput aut breve mentum  
34 et simas tenero collidit pollice nares.  
35 Interea pueri florescit pube juventus  
36 flavaque maturo tumuerunt tempora cornu.  
37 Tum primum laetas ostendit pampinus uvas :  
38 mirantur Satyri frondes et poma Lyaei.  
39 Tum deus : "O Satyri, maturos carpite fetus,  
40 dixit, et ignotos primi calcate racemos".  
41 Vix haec ediderat, decerpunt vitibus uvas  
42 et portant calathis celerique elidere planta  
43 concava saxa super properant : vindemia fervet  
44 collibus in summis, crebro pede rumpitur uva  
45 rubraque purpureo sparguntur pectora musto.  
46 Tum Satyri, lasciva cohors, sibi pocula quisque  
47 obvia corripiunt : quae fors dedit, arripit usus.  
48 Cantharon hic retinet, cornu bibt alter adunco,  
49 concavat ille manus palmasque in pocula vertit,  
50 pronus at ille lacu bibt et crepitantibus haurit  
51 musta labris ; aliis vocalia cymbala mergit  
52 atque aliis latices pressis resupinus ab uvis  
53 excipit ; at potus (saliens liquor ore resultat)  
54 evomit inque humeros et pectora defluit umor.  
55 Omnia ludus habet cantusque chorique licentes ;  
56 et venerem jam vina movent : raptantur amantes  
57 concubitu Satyri fugientes jungere Nymphas ;  
58 jam jamque elapsas, hic crine, hic veste retentat.  
59 Tum primum roseo Silenus cymbia musto  
60 plena senex avide non aequis viribus hausit :  
61 ex illo venas inflatus nectare dulci  
62 hesternoque gravis semper ridetur Iaccho.  
63 Quin etiam deus ille, deus Jove prosatus ipso,  
64 et plantis uvas premit et de vitibus hastas  
65 integit et lynci praebet cratera bibenti".  
66 Haec Pan Maenalia pueros in valle docebat  
67 sparsas donec oves campo conducere in unum  
68 nox jubet, uberibus suadens siccare fluorem  
69 lactis et in niveas astrictum cogere glaebas.

ECLOGA IV  
LYCIDAS - MOPSVS

N4 v. 1 Populea Lycidas nec non et Mopsus in umbra  
2 pastores, calamis et versu doctus uterque  
3 nec triviale sonans, proprios cantabat amores.  
4 Nam Mopso Meroe, Lycidae crinitus Iollas  
5 ignis erat, parilisque furor de dispare sexu  
6 cogebat trepidos totis discurrere silvis.  
7 Hos puer ac Meroe multum lusere furentes,  
8 dum modo condictas vitant in vallibus ulmos,

9 nunc fagos placitas fugiunt promissaque fallunt  
10 antra nec est animus solitos ad ludere fontes.  
11 Cum tandem fessi, quos durus adederat ignis  
12 sic sua desertis nudarunt vulnera silvis  
13 inque vicem dulces cantu dixere querelas.

MOPSUS

14 "Immitis Meroe rapidisque fugacior euris,  
15 cur nostros calamos, cur pastoralia vitas  
16 carmina ? Quemve fugis ? Quae me tibi gloria victo ?  
17 Quid vultu mentem premis ac spem fronte serenas ?  
18 Tandem, dura, nega : possum non velle negantem.  
19 Cantet, amat quod quisque : levant et carmine curas.

LYCIDAS

20 Respice me tandem, puer o crudelis Iolla.  
21 Non hoc semper eris : perdunt et gramina flores,  
22 perdit spina rosas, nec semper lilia cudent,  
23 nec longum tenet uva comas, nec populus umbras.  
24 Donum forma breve est nec se quod commonet annis.  
25 Cantet amat quod quisque : levant et carmina curas.

MOPSVS

26 Cerva marem sequitur, taurum formosa juvenca  
27 et Venerem sensere lupae, sensere leaenae  
28 et genus aerium volucres et squamea turba  
29 et montes silvaeque : suos habet arbor amores.  
30 Tu tamen una fugis miserum, tu prodis amantem.  
31 Cantet amat quod quisque : levant et carmina curas.

LYCIDAS

32 Omnia tempus alit, tempus rapit : usus in arto est.  
33 Ver erat et vitulos vidi sub matribus istos  
34 qui nunc pro nivea coiere in cornua vacca.  
35 Et tibi jam tumidae nares et fortia colla,  
36 jam tibi bis denis numerantur messibus anni.  
37 Cantet amat quod quisque : levant et carmina curas.

MOPSVS

38 Huc, Meroe formosa, veni : vocat aestus in umbram.  
39 Jam pecudes subiere nemus, jam nulla canoro  
40 gutture cantat avis, torto non squamea tractu  
41 signat humum serpens. Solus cano : me sonat omnis  
42 silva nec aestivis cantu concedo cicadis.  
43 Cantet amat quod quisque : levant et carmina curas.

LYCIDAS

44 Tu quoque, saeve puer, niveum ne perde colorem  
45 sole sub hoc : solet hic lucentes urere malas.  
46 Hic age pampinea tecum requiesce sub umbra ;  
47 hic tibi lene virens fons murmurat, hic et ab ulmis  
48 purpureae fetis dependent vitibus uvae.  
49 Cantet amat quod quisque : levant et carmina curas.

MOPSVS

50 Qui tulerit Meroes fastidia lenta superbae,  
51 Sithonias feret ille nives Libyaeeque calorem,  
52 Nerinas potabit aquas taxique nocentis  
53 non metuet sucos, Sardorum grama vincet  
54 et juga Marmaricos coget sua ferre leones.  
55 Cantet amat quod quisque : levant et carmina curas.

LYCIDAS

56 Quisquis amat pueros ferro praecordia duret  
57 nil properet discatque diu patienter amare  
58 prudentesque animos teneris non spernat in annis,

59       perferat et fastus. Sic olim gaudia sumet,  
60       si modo sollicitos aliquis deus audit amantes  
61       cantet amat quod quisque : levant et carmina curas.

MOPSVS

62       Quid prodest quod me pagani mater Amyntae  
63       ter vittis, ter fronde sacra, ter ture vaporo,  
64       incendens vivo crepitantes sulphure lauros  
65       lustravit cineresque aversa effudit in amnem,  
66       cantet amat quod quisque : levant et carmina curas.  
67       Cum sic in Meroen totis miser ignibus urar ?

LYCIDAS

68       Haec eadem nobis quoque versicoloria fila  
69       et mille ignotas Mycale circumtulit herbas ;  
70       cantavit quo luna tumet, quo rumpitur anguis,  
71       quo currunt scopuli, migrant sata, vellitur arbos.  
72       Plus tamen ecce meus, plus est formosus Iollas.  
73       Cantet amat quod quisque : levant et carmina curas".